



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicacionem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et  
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -  
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ  
collectus: & usui accommodatus

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066332**

Pars XIV. Erga Semetipsum & Notitiam sui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45396**

# EXERCITIORUM P A R S XIV.

## Erga Semetipsum & Noti- tiam sui.

### EXERCITIUM I.

*De Notitia sui Nihili.*

I. **S**tatue te coram te, & ingredi, atque  
descende usque ad fundum Nihil tui.

2. Abyssus est, quam nec pertransire,  
nec perscrutari plenè in æternum poteris. Quis  
enim intelligat Nihil, aut quid sit Nihil: de quo  
nec cogitari, nec dici, nec sciri, potest Nihil; nisi  
Nihil.

3. Prò: quanta vilitas, quanta abjectio,  
quanta miseria est Nihili? Si canis mortuus sis,  
si putredo, si vermis contritus, si fax, putor,  
stercus, si quæcunque & qualiscunque fæditas,  
turpitude, ac spurcitia sordium, tabescentium-  
vè cadaverum, non es adhuc omnino, neque  
penitus vilis, quia neque penitus Nihil: ac ideo,  
ista ad vilitatem Nihili, æstimationem habent ali-  
quam, usumque aliquem sui: habent bonitatem  
Entis, existentis à parte rei: at vero Nihil, pror-  
sus est Nihil: valet, & utile est ad Nihil.

3. Hoc Nihil cum tu sis, & quidem à Na-  
turâ, & ab Essentiâ, & ex temetipso sis; in istud-  
que

*V.P. Druzb. Op. V.*

Ff

que

*Drus*  
*ick*  
*4801*  
*II*  
*V*

me?  
barinte  
dte?  
mihi?  
?  
are facie  
d vos?  
abste?  
atiandum  
o cubab  
o induca  
o: quan  
EXER

que Nativum tuum Nihilum, velut in centrum  
 toto pondere tendas, ac in illud resolvi exigi  
 omnique momento in illud recidere idoneus,  
 paratus sis; ita quidem, ut non esse idoneus,  
 paratus, non possis: nisi te unica, eaque gratia,  
 ac tibi nullatenus debita Dei omnipotentis  
 atque Bonitas, extra hoc Nihilum, continuat  
 semper conservationis beneficio teneret. Jam  
 statue de te, quod iudicium, quis sensus, quanta  
 aestimatio tui, debeatur tibi, & à Deo, &  
 te ipso, & ab omni alio Ente Creato?

5. Statue apud te cuius amentiae, & quam  
 non solum iniquae, sed omnino emotae, nullius  
 que mentis sit, velle, exigere, expectare, vel  
 minimam aestimationem, laudem, curam, ratio-  
 nemque tui?

6. Statue apud te, quid, & quis sis verè? quid  
 possis? quid habeas? ad quid idoneus, & utilis  
 sis? quid merearis? quo dignus sis? Utique  
 te, tuaque attendis, hæc sunt, Nihil: si autem  
 aliena spectas; hæc quoque sunt, ratione tui  
 Nihil: & acquirunt tibi nihil, quoniam aliena  
 sunt.

7. Ergo in hoc Nidulo tuo, in hoc (inquam)  
 Nihilo tuo, & nihilo tui, jugiter, immobiliter  
 æternaliter habita: & noveris, & profitearis  
 quam sit tibi curta, quam misera, quam nulla  
 supellex.

*P R A X I S.*

**A**ldite me, audite Creaturæ: Audi me Creator  
 factor meus: Confessionem simul, & confusio-  
 nem meam. Confiteor omni Creaturæ, & ipsi  
 mihi, & ante omnia DEO Creatori meo, quia nihil  
 sum.

sum: quia omnis substantia mea, est merum, purum-  
que nihil ante DEUM, ante meipsum, & ante omne  
quidquid est Creatum. Nidus meus, nihilum. Patria  
mea, genealogia mea, genus meum, esse meum, opus  
meum, posse meum, meritum meum, gloria, gloria-  
tioque mea, merces & premium meum, Nihil est;  
nihil omnino, millies, milliesque nihil. Hoc mihi no-  
men, hæc substantia, hæc possessio, hæc Virtus. hæc  
energia, hoc totum, solum, unumque, ego nihil, &  
per omnia, atque ad omnia nihil: neque aliud esse  
possum: neque capax esse, ut aliquid sim, esse possum.  
O DEUS meus: qui solus metiri potes universum ni-  
hilum meum: tu solus etiam deduc me in cognitio-  
nem, & servame in cognitione, in æstimatione, in  
confessione, in confusione nihili mei: de cætero, mi-  
serere mei secundum magnam misericordiam tuam,  
sicut potes, sicut scis, sicut vis.

## EXERCITIUM II.

### De Notitiâ suæ Cæcitatîs.

1. **S**tatue te coram te: & descende in abyssalem  
fundum cæcitatîs tuæ, ignorantîæ tuæ,  
stultitiæ tuæ, errabilitatis, errativitatisque tuæ.

2. *Abyssus abyssum invocat.* Ex nihilo, quid *Pf. 41. 3.*  
nisi cæcitas omnis emanet? quid nisi privatio &  
absentia lucis omnis omnino procedat? Quam  
est mihi essentielle nihilum esse; tam est inna-  
tum, & inexpedibile ab esse meo, cæcum, imò  
cæcitatem, esse.

3. Cæcus sum in Divinis, cæcus in creatis,  
cæcus in alienis, cæcus in meis rebus: cæcus  
(& maximè quidem) in ipso me: stultus maximè,  
imprudens maximè, erroneus maximè, dubius  
maximè

2. Reg. 3. 25. maximè, perplexus, ignarus, *nesciens tam intrinsecum quàm exitum meum*, maximè. Meræ sum tenebræ, pura ubique nox, in omnibus: & semper caligo, semper inscitia, semper cæcitas.

4. Si quæro Deum meum, qui replet omnem seipso, & lux est tam omnium, quam sua: tamen ego cæcus sum: neque tantum non invenio Deum, in quo vivo, moveor, & sum: sed etiam in regionem dissimilitudinis ab erro ab ipso ab eo ab ipso, perdo in ipsum in illo ipso. Si quæro Creaturam, & hîc cæcus sum: & hîc in immensos, ac inextricabiles, ipsoque stupore stupidiores errores ac stultitias ab eo, atque ab erro. Quanta enim stultitia est ignorare Deum suum, nescire factorem suum, Creaturam putare Creatorem, Creaturam præferre Creatori, Creaturam amare, odisse Creatorem, servare creaturæ, rebellem esse Creatori, subjici servatori non esse Dominum?

5. Jam, heu! quàm cæcus, ac tenebrosus, & mera nox, ipsissimaque inscitia sum in Divinis sive consiliis, sive judiciis, sive voluntatibus Creaturarum verò, ac in specie Angelorum Hominumque naturæ, & corda, & mentes, & sensûs, & affectûs, & cogitatus, in quantis tenebris latent, & quàm procul sunt à me scientiâque meâ! Quid ipse ego, quàm abditus, ignotus mihi? Voluntas mea usque adeò cæca mihi, ut quid velim, ne tum quidem sciam, cui volo. Intellectus meus, cæcorum cæcus Dominus, atque Lux, affectuum appetituumque. Memoria meam, quid vocem; nescio: quid quidem per eam, & in Dei, & in aliarum rerum, & in mei etiam ipsius oblivionem veni.

Excide  
sentia  
turalia  
cæcitas  
tem ne  
quidd  
est, L  
tenebr  
re, qu  
macer  
fatore  
rior.  
6.  
agnos  
quod  
merito  
7.  
ignora  
& ipse  
Stultit  
mecum  
CO  
t  
homo  
immen  
lulus,  
nescian  
ad hoc  
mihi v  
tenebr  
generi  
tiri ar  
Ex

Exciderunt, & occiderunt præterita, latent præsentia, futura autem quis novit? In his quæ naturalia, & quæ sensibus subjecta sunt, infinita est cæcitas, & ignorantio. De supernaturalibus autem nosse saltem aliquid, abyssalis nox est, & quiddam nocte obscurius. Quod si Anima, id est, Lumen, quod in me est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? discedit Anima à corpore, quid est corpus, nisi fæccus, luto aut stercore maceratus, fæccis ipsis stupore par: putredine, fæctore, horrore, inferior: aut veriùs superior.

6. Et tamen, nos dicimus; quia videmus, quia agnoscimus, quia sapimus, qui in hoc ipso quod sapere est, desipimus: propter quod etiam meritò peccata nostra manent.

7. Ergo homo scito te stultum, agnoscito ignorantem, profitèrè erroneum, & errantem, & ipsius erroris ignarum. Dic cum sapiente: Stultissimus sum virorum, & Sapientia non est mecum.

P R A X I S.

Confiteor tibi, Domine, Rex Cæli, & terra, Pater luminum, & fons Sapientiæ, quia ego sum homo de nihilo formatus, tenebris & cæcitatibus in immensum immensus, & abyssaliter abyssalibus involutus, immersus, & infartus. Non recenseo, quid nesciam Domine; aut in quo cæcutiam: nam neque ad hoc sciendum sufficio. Stultus sum, & sapere mihi videor: ubi me valde illustratum existimo, ibi tenebris palpabilibus involvor, similis illi cæcorum generi, qui se cæcos nesciunt, insuperque alios cæcutiri arbitrantur. Talis sum Domine, & ubique tali,

Ff 3

li,

DRUR  
ICKI  
: 4301  
II  
V

lis, neque alius esse possum, ex me: ô Tu qui Lex  
 & omnes nescis tenebras, & sine quo omnia tenebræ  
 sunt: emitte lucem tuam, & veritatem tuam, qui  
 me deducat & adducat usque ad Te: aliàs ego stultis-  
 simus sum, & Sapiencia nulla est mecum: sed pe-  
 rissimæ tenebræ, quarum fundum habere possum, non  
 non possum.

## EXERCITIUM III.

### *De Notitia suæ Malitiæ.*

1. **S**Tatue te coram te: & descende in abyssa-  
 lem profunditatem malitiæ, malignitatis  
 que tuæ.

2. Omnia alia nihili humani attributa tolera-  
 biliora fierent, malitiositas si abesset. At heu  
 nullum apostema, nullum carcinoma, tantis  
 purulentia venenis scaturit, quantis malitiæ pro-  
 fluviiis unus Homo redundat.

3. Exhaurias fontes & fluvios: malitiam me-  
 am, tuamve, exhaurire desperes: maria dividen-  
 do imminuuntur, malignitas emanando vires  
 sumit. Montes in plana deduxeris: scelerositas  
 humana affurgit, ascenditque semper altius. Eructat  
 in exhaustos ignes, Ætna, & Vesuvius, in-  
 terdum tamen conquiescunt: Una mea maligni-  
 tatis cessationem nescit, neque promittit, ne-  
 que patitur unquam eructandi malitiæ suæ in-  
 cendia.

4. Parum est malitiosum, ac malignum esse  
 minus est malum, & peccantem esse: celare  
 & negare patrata scelera oportet: peccata  
 peccatis cummulare: oportet excusare &  
 defendere: oportet majoribus minora obruere  
 oportet

oportet de sceleribus gloriari, & in pessimis factis exultare: oportet prædicatione & impudentiâ coronare: oportet peccata sua diligere: oportet dissimulatione, contemptu, desperatione non sentire: oportet insuper alienis gravari: atque dato pretio, vel præmio eadem in suam perniciem, gravamenque, vel emere, vel vendere: oportet in seras ætates eadem propagare, atque ne unquam eorum finis sit providere: oportet artem, disciplinam, magisteriumque peccandi discere, nosse, docere, exercere: oportet denique iniquitatem velut aquam bibere, in Cathedrâ pestilentiæ sedere, & venundari, ut facias malum coram Domino DEO tuo.

5. Neque vero alligatus sum ad unum alterumvè solum malitiæ genus, ita, ita, ut ad cætera inhabilis, ineptusque sim: Non ita sanè tenuis est fons malitiæ meæ: sed non est peccatum, quod fecit unus homo, quod non possit facere alter homo: ad omnia aptus, ad omnia paratus, ad omnia præceps, quantum ex me: nisi quòd Divinæ sit opus misericordis dexteræ, quæ non finit innatum ad omnia scelera pondus sequi, illovinci, five illud exequi.

6. Superbia nostra ascendit semper, Avaritia nostra ascendit semper, gulositas nostra ascendit semper, luxuria nostra ascendit semper, ira, invidia, acedia, omne scelus ascendit semper: & si in æternum viveremus, in æternum peccando progredieremur. Exemplo sunt damnati ad pœnas inferni, quorum quemadmodum tormentorum ita & scelerum fumus ascendit in sæcula sæculorum. Exemplo etiam est, atque experimento, quòd ab origine mundi semper ho-

DRUR  
ICKI  
: 450  
II  
V





mines maligni sunt, & in peccatorum sordibus volutantur, atque etiam voluptuantur.

7. Puer es ætate, sed peccatis senex. Juvenis es annis, sed malitiâ grandævus: adolevis annis, sed nequitiâ senuisti; grandævus es vitâ, sed sceleribus senectutem supergressus es: & totus licet vivendo fatiscas in mortem, sola tamen scelera, scelerumque vivacitas in te viridis est & in hoc pares sunt omnes homines, quantum ex se! in hoc ego par sum omnibus, quantum ex me.

8. Sed & illud ad malitiositatem meam facit plurimum: quòd non tantum malus esse, malæque perpetim facere naturâ meâ aptus sim: verum etiam bonum esse, & bona agere, quin & cogitare, ex me profus ineptus, imò verò bona facta corrumpere aptissimus inveniar. *Omne datum optimum, & omne bonum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum: apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis, etiam in melius (est enim omne & summum bonum) obumbratio; omne autem peccatum pessimum, & omne bonum inquinatum, & corruptum, deorsum est, promanans ex Nihilo, quod est omnis homo: apud quem, in hoc, nulla est nulla esse potest malitiæ emendatio! neque in bonum, aut in melius ex semetipso commutatio.*

### P R A X I S.

**D**omine DEUS meus: scrutator nihil, & solusque cognitor verax ejus: Tu solus plures nosti malitiam, perversitatem, cliviemque inexhaustam peccaminositatis meæ. Dixi Domine, & dicitur

Et dicere volo, quamdiu fuero, Peccavi: Et in profundum iniquitatis descendi infixus sum in abyssali limbo peccatorum meorum, Et non est substantia. Multiplicatae sunt iniquitates meae, non super numerum capillorum capitis mei, neque super numerum arenae, quae est in littore maris, neque super numerum pulverum terrae, aut guttarum aquae: sed super numerum omnis Creaturae. Propter quod Domine, perditio, Et infernus, Et mors aeterna, domus mea, possessio mea, hereditas mea est. Verumtamen tu Domine misericors, Et miserator, parce peccatis meis, Et dimitte universa debita mea, ut exalteris parcens mihi, Et multitudinem malitiae meae, vincens multitudine abyssalium miserationum tuarum.

## EXERCITIUM IV.

### De Notitiâ suâ Infirmittatis.

1. **S**tatue te coram te: & descende in abyssalem profunditatem infirmitatis ac impotentiae fragilitatisque tuae.

2. Quomodo enim ad Corpus umbra, sic ad nihilum infirmitas, omnisque impotentia adhaeret; si tamen non veriùs dicitur, quòd nihilum, & summa, & omnis infirmitas sit.

3. Quid enim nihilo cogitetur, vel, reperitur infirmius? Nullum vitrum, nullae aranearum telae, nulla aëre inflata bulla, tam fragilis est; quàm infirmum est id, quod nihilum, aut de nihilo est. Et talis utique est Homo: Homo cujus substantia, essentia, existentia, natura, omnisque conditio, est nulla, & nihil. Bene vocatus est vivens omnis homo, universa vanitas: quasi quidquid uspiam Vanitatis esset, hoc

totum in unumquemque hominem coagmentatum sit, ita ut aliæ quidem res creatæ per partem tantum Vanitatem in sese habeant: at in hominem omnes, omnes, quantæcunque sunt confluerint: eumque compegerint. In Elementis, & lapidibus, aliisque inanimatis, est tantum vanitas vitæ: in animalibus est tantum vanitas sensûs & motûs: in Angelis est tantum vanitas intellectûs: homo autem omnis vivens, est ista universa vanitas: revera enim nulla res tam miserè, atque vanè, aut est, aut vivit, aut sentit, aut movetur, aut intelligit, quàm homo. Igitur universa vanitas, est omnis homo vivens.

4. Pariter non absurdè dixit, de Hominis Nihilo, & Vanitate, & fragilitate; qui, quod de omnibus creaturis dictum est, uni specialiter potissimumque soli Homini competere sensit:

*Eccles. 1. 2. Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.* Non videbatur satis sibi dicturus, si hominem Vanum, aut si etiam Vanitatem, si denique universam Vanitatem dixisset; Magnum aliquid illi videbatur Vanitas esse, ac proinde homini multum adhuc tribui, si diceretur Vanitas esse: idcirco in ipsis Vanitatibus, Vanitatem, veluti florem, succum, medullamque reperit: ac illam hominem esse dixit: dicere volens; Homo non est Vanitas, sed vanitatum omnium Vanitas: aut, non est nihil, sed ipsa nihili umbra, ipsumve nihili nihil.

5. Si quis dicat, Hominem, nempe semetipsum, esse ægritudinem, infirmitatemque æternam, nullis, ne divinis quidem, viribus, satis sanabilem; verum quidem aliquid de sua fragi-

fragilitate dicet, non dicet tamen totum. Non enim videtur plenius exprimi, & consummatiùs appellari infirmitas humana, seu potiùs, infirmitas, quæ est homo, quàm si dicatur esse nihil. Nihil siquidem nulla vis, nullum robur, nullum minutum potentia inesse potest. Quisquis ergo nihil est, is non infirmus, sed infirmitas, is non vanus sed ipsa vanitas, imò & Vanitatis Vanitas est.

6. Et nihilominus, nos non erubescimus, & dicere, & credere, potentes, præpotentes, potentissimos, tantùmque non & omnipotentissimos. O Vanitas vanitatum! parumne tibi est Vanitatem Vanitatum esse, nisi etiam novelam hanc, vanitatis stultissimam vanitatem, à mendacio, & falsitate desumptam, tibi associes?

7. O vos præpotentes, qui neque umbram potentia habere potestis à vobis ipsis! O potentissimos, quibus nec ad momentum per se subsistendi potestas inest! Parum dixi, quando negavi inesse: veriùs, & plenius dicam; si nega-vero etiam inesse posse. Quantumcunque creatura, etiam ab ipso Deo firmetur, & potentificetur, adhuc tamen semper, & omni momento impotens erit, ad sui, vel pro unico momento, in suo esse, in suo posse, in suo valere, & præposse conservationem: Non secùs ac aër iste communis qui licet à tot annorum millibus quotidie Solis lumine plusquam penetretur, peneque lumen ipsum fiat, tamen neque ad momentum lucidus esse potest absque solis præsentia & luminis ejus influxu: sed totum ejus lucere, est à Solis beneficio, ex se autem nihil lucis, sed  
nativas

DRUR.  
icki  
: 4301  
II  
V

nativas tenebras habet: Sic Homo neque esse, neque posse, neque facere, neque conari, sive in rebus naturæ, sive in functionibus gratiæ, quidquam, vel ad momenti momentum potest de semetipso: sed omnis sufficientia ejus ex Deo est: omnis autem insufficientia, impotentia, fragilitas, infirmitasque ex ipsomet homine est, sicut ex semetipso nihil est.

8. I nunc Homo: jacta vires tuas: gloriare quasi potens: esto *jucundus in potestate tuâ*: aude dicere: *Manus mea excelsa, & non Dominus fecit omnia.* Quid superbis terra & cinis! quid inflaris Vanitas & nihil? *quid habes quod non accepisti? quid potes quod non ex Deo potes? quod habes meritum, quod non sit donum Dei gratuitum? An non Gratiâ Dei es quidquid es? Nunquid mendax est, qui dicit: Sine me nihil potestis facere? Et rursus. Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium tuum?* Hoc ergo age, ô homo, ut nihilum tuum semper coram te sit: ut Gratia Dei in te vacua non sit: ut reddas, quæ sunt DEO, quæ sunt tua, tibi! ut appendas quæ sunt tui nihili, tuo nihilo.

## P R A X I S.

**D**omine, Dux omnis, quæcunque in nobis est, *Virtutis; Tibi confiteor universum nihilum meum, universamque fragilitatem, & infirmitatem meam: quoniam ipsa est, quam possideo ex hereditate, atque fecunditate nihili mei. Nihil sum Domine, nihil per omnia, nihil ad omnia, nihil in omnibus, nihil post omnia, nihil ex omnibus, nihil pro omnibus, nihil inter omnia, nihil præ omnibus. Tua verò Domine sunt, omnia, quæcunque sunt: tua est Vir-*  
tus,

tus, tua potentia, tua fortitudo, tua sapientia, tuum consilium, tuum iudicium, tuum adiutorium, tua gloria, & laus, & gloriatio, & exaltatio, & gratiarum actio. Et ad meam quidem substantiam pertinet nihil: quod revera ex memetipso sum: nec non universa Vanitas Vanitatum: ac etiam infirmitas: & confusio faciei, & contemptio, & damnatio, atque perditio: insuperque in damnatione derelicto, & sepultura, & oblivio aeterna: Verumtamen tu Domine operi manuum tuarum porriges dextram: & misereberis mei tu, qui omnia potes, qui omnia scis, qui omnia bona vis, qui omnia es, qui omnia que salutis mee sunt, largiris. Tibi ergo gloria, mihi autem miseria, sed & miseratio tua, in Aeternum.

## EXERCITIUM V.

### De Notitia sua Ruinositatis.

1. **S**tatue te, coram te, & descende in abyssalem profunditatem ruinositatis tuæ, tendentiæque præcipitatissimæ in ruinam, in mortem, etiam secundam, in nihilum, in non esse, & in malè esse.
2. Est enim infelicissimæ hominis nihilitati parum: quòd ad omne Bonum sit ex se prorsus impotentissima: quodque in Bono stare firmiter, vel ad momentum momenti, sit insufficientissima, habet insuper hoc in Naturâ, Essentiâque suâ; quòd p'enniter, & incessabiliter, & invincibiliter, ad ruinam, perditionemque præcipitatissima sit, & supra omnem modum festinanter tendens, atque ruens.
3. Si molare saxum, aut grandis massa plumbea, aut ingens mons in sublimè efferretur, inibi-  
que

DRUR  
ICKI  
: 1801  
II  
V

que magnâ quadam Virtute pendens sustineretur, haud dubie, sive molaris, sive plumbum, sive mons, toto suæ entitatis pondere tenderet, rueretque, quantum in se, & ex se, in profundum deorsum: tali, atque millies multo majori ponderositate Naturæ, & Essentiæ suæ, humana massa, omni instanti, esto Divinæ omnipotentia Virtute sustentata, etiam dum sustentatur, tendit in sui ipsius perditionem, tam physicam, quàm moralem: seu, in non esse, tam Naturæ, quàm moris, aut Gratia.

4. Nullum arcu emissum jaculum, nullus globus tormento quovis ejectus, non ipse sol incogitabili quamvis celeritate gyratus. tantâ præcipatione ad suum festinat terminum: quanta præcipationis festinatione ruit humana miseria, omni momento suo, ad desitionem, perditionemque sui. Cursum enim solis quamvis rapidissimum, metimur horis, annis, & seculis: sed humana in desitionem festinatio, ipsis momentis brevior, hoc est, velocior est: neque eget momentorum moris, ut duret, aut non duret.

5. Videatur sibi quomodolibet stare miser Homo, neque solum stare, sed altiùs quoque ascendere, ac sese robustiùs firmare: heu! tum demùm maximè multiplicatâ & adauctâ præcipatione, ruit in præceps, evolatque in ruinam. Quis robustiùs stare sibi videbatur illo, qui dicebat in abundantia suâ; non movebor in æternum: at ecce ad tantillam amotionem à se manus Divinæ conservatricis, subito factus est conturbatus, & in præceps, profundumque lapsus. An non robustus sibi stabat, qui dicere non dubitabat in corde suo *in cælum conscendam, super astra DEI,*

*Isaie 14. 14.  
& 15.*

*exalt  
lateri  
nubi  
sus,  
firma  
quam  
dexte  
etus a*

6  
*sic in  
quam  
grave*

7  
*ut qui  
mih  
ruere  
dem i  
suæ V  
in ruin  
labore  
tus e  
efficer*

8.  
*quides  
ex ne  
ditio.*

*Viv  
fi  
ceps, &  
stimulu  
potest,  
quam a*

*exal-*

exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo. Atqui ille gloriosus, ille sublimis, ille Altissimo suppar, ille in solio firmato residens, ac latera Aquilonis preans: tanquam fulgur in tartara decidit, totâ Divinitatis dexterâ percussus: toto sui nihili pondere detractus ad infernum, ad profundum lacu.

6. Sic, sic ruimus, sic ruere paratissimi sumus, sic in ruinam præcipientes volamus: nullâ magis, quàm propriæ Naturæ, Essentiæque ineluctabili gravedine, atque ponderatione.

7. Ut quid ergo præsumam, ut quid confidam, ut quid altum sapiam, aut spirabo? quando ita mihi proprium, ita essenziale, ita necessarium est ruere in præceps ex ipso me; ut Deus, possit quidem ille facere omnipotentis dexteræ, gratiæque suæ Virtute, ne corruam; at verò ne ruam, ne in ruinam festinem, ne in præceps ire toto me ad laborem, hoc, neutiquam toto se, quantusquantus est DEUS, totaque omnipotentia ipsius, efficere non possit.

8. Ergo homo, noli altum sapere, sed time: & Rom. II. 20. quidem à temetipso solo, quàm maximè time: ex nemine enim alio, nisi ex temetipso tua perditio.

### P R A X I S.

Vivit Dominus, & vivit magna Virtus ejus: quia sine Deo, nihil mihi ego sum, nisi dux in præceps, & pondus in malum, manuductor in ruinam, & stimulus ad perditionem. Non est, nec esse ullatenus potest, ullum penitus auxilium mihi in me, ad quidquam aliud; nisi ad solam, & ad omnem perniciem, deso-

DRUR  
ICKI  
: 1300  
II  
V



desolationem, destructionem, vastitatem, confusionem, annihilationem. Tu Domine solus es Deus meus, solus virus, & sustentatio mea, solus fortitudo mea, & laus mea. Ex te sum, quidquid sum: in te sum, ubicunque sum: tibi sum, cuicunque sum: ex me autem, & ex omni quantacunque Creaturâ, omnino sum perditio, omnino ruina, omnino exitium, omnino nihil sum. Ergo Domine DEUS meus, in Te solo fiducia, & firmamentum meum, & cornu salutis meæ: in quo omnia firma, sunt infirma: omnia verò infirma sunt firma: quia tu solus omne robur nostrum in infirmitate perficis: & tu solus vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: & tibi soli subest cum volueris posse omnia, non solum per Te omnipotentissimum, sed etiam per me impotentissimum.

## EXERCITIUM VI.

*De Notitia suæ Imperfectionis.*

1. **S**Tatue te, coram te, & descende in abyssalem imperfectionem defectuositatemque tuam.
2. Et quis mihi porrigat dexteram, quâ deductus subintrem hoc mare, & ad profunda ejus, descendam, & intelligam quid desit mihi perfectionis, aut quid insit mihi imperfectionis?
3. In compendio habebis, ô talium scrutator homo universa: si te nihil esse cognoveris, & si tuum nihilum perscrutatus fueris. Quid enim nihilo imperfectionis non inest? aut quid perfectionis inest, si plane, & verè, prout quidem Homo verissimè, & planissimè, nihil est.
4. Noli ô homo velle conferre te cum DEO qui cum sit abyssus perfectionum, abyssalisque perfectio, in nullam comparationem tecum ve-

nire potest: utpote qui tantum distat à te imperfectione, quantum non distaret cælum à terra, vel ortus ab occasu, ne quidem si millies milliesque amplius tantum distaret, quantum nunc distat. Quantum distat summum, & omne Ens, à Nihilo, & non ente, tantum abest Deus ab homine: & quantum elongatur absoluta, & cui nihil deest, Perfectio, ab omnimodâ, & cui nihil inest perfectionis, nihilque deest imperfectionis imperfectione; tantum longè est Deus ab homine, tantumque longè est homo à Deo. Injuria est Dei componi cum homine, & superbia est Hominis comparari eum Deo. Deus enim ipse est Deus: Homo autem ipse est homo, est ipsissima imperfectio, ac pura puta nihiludo.

5. Veniat homo in comparisonem cum creaturis, & suam cum ipsis collationem instituat: & nullam inveniet, quâ se imperfectiorem non reperiet, in quâ perfectionem quâ ipse caret non advertet, in quâ perfectionem, cui ipsius perfectio non cedat non agnoscat. Præmittamus Angelicos Spiritûs immortales, immateriales, omnî naturæ gradu altiores, perfectioresque ac prorsus perfectissimos: quibus si comparare se homo præsumat, tam stultus, quam injurius existat.

6. Ergo ad creaturas cæteras comparatur homo, & omnibus illis inferior, imperfectiorque apparebit quia & revera existet, homo. Scio, Divino edictum esse oraculo, quia Deus omnia subjecit sub pedibus hominis: sed hæc subjectio, argumentum est humanæ imperfectionis, quæ eguerit tantâ creaturarum subjectione: quâ si caruisset, nihil miserabilius, imperfectiusque homine remansisset. Subjicitur creatura homini, quia

K. P. Druzb. Op. V.

Gg

fic

Druzb.  
icki  
: asca  
II  
V

fic mandavit Deus: & non subicitur homo Deo duplex, quod ut facere addisceret, omnem creaturam de periculo dedit illi in Magistrum, omni creaturæ dedit illum debet, ut Discipulum Deus. O miserum, ô infeliciter im- 10 perfectum hominem! qui jumentorum, atque perstring- brutorum, truncorum, atque lapidum, magisteri- etuofum eguit, neque tamen vel ex eo hæctenus profectu- ris atque ut Deo se subijci, subijcereque sciret, ac vellet. Dei pro-

7. Percurramus cætera vel tenuiter. Nunquid (Deo) ta- homo purus est ut Cæli? Num lucet ut sydera- lis licet si- Num fertur super aëra, sicut nubes sæcundante- ptor in ip- terram, & ab æstu Solis inumbrantes? Num sicut qui est si- Sol illuminat, & vegetat omnia? Num sicut vo- hæc omni- lucres cæli volitat, aut sicut pisces maris aquarum- dent ocul- profunda inhabitat? Prô pudor! muscæ & culic- nos cerib- ces quolibet volant, homo terræ adfixus desidet- cens nob- Quid multa in hac brevitate loquar? Omnia sua- Naturæ, conservationique opportuna, adnata- etiam habent: vilissimæ bestiolæ, plantulæ, her- D omni- bulæ, atque adeo omnes creaturæ: solius homi- ab o- nis in censum hunc rerum educti, natura vel obli- à meis- ta, vel negligens, vel inimica planeque noverc- Domine in- videtur fuisse, ac etiamnum esse: ita totus aliena- fectio tua- opis eget, ita totus imperfectus, & omnibus im- ex ips- perfectior est. ua. Di-

8. O nos perfectos Homines! qui toties im- plius d- perditionem, quoties creaturæ innumeræ no- se, cui qu- stri subsidii causâ disperdi debent: ita ut creaturæ- habent en- rum perditio, nostræ sit innumerabilis & misera- vermiculi- bilis imperfectionis suppletio: sitque perfectio- sequi non- (quia utilior) creatura periens, quàm homo vinea, & no- vens, quippe qui non viveret nisi cadaveribus- perfecta es- creaturarum viveret. quam perf-

9. Prætereamus hîc obsequium sanè tam mult- Divinum j- tiplez.

no Deo duplex, quàm vile, imò & sordidum, sæpè etiam  
arum de periculosum, quod homo creaturis impendere  
t illum debet, ut earum obsequio suis miseris subveniat.  
citer im 10. Oportet etiam præterire, ac obiter tantum  
, atque perstringere illud imperfectum nostrum, tam lu-  
agisteri etuosum, quàm probrosum in omni genere mo-  
profeci ris atque Virtutis: de quo satis sit cum Veritate  
ellet. Dei pronunciare; *Omnes Justitiæ nostræ* (coram *Isaia 64. 6.*  
Nunquid Deo) *tanquam pannus menstruatae*. Et tamen ta-  
sydera lis licet sit homo, audet superbus, audet contem-  
undante ptor in ipsum etiam Deum, esse Homo. Et Deus,  
um ficu qui est super omnia, videt, dissimulat, miseratur  
sicut vo hæc omnia. Quoniam *imperfectum nostrum vi-* *Psal. 138. 16.*  
aquarum *dent oculi ejus, & in libro nihilominus suo omnes*  
& culi nos ceribit, in salutem nostram, ut exaltetur Par-  
s desidens nobis.

P R A X I S.

Domine, agnosco, & confiteor, & non abscondo  
ab oculis tuis, pariterque ab omni creatura,  
& à meis, omne imperfectum meum. Tantum est  
Domine imperfectum meum, quanta est Divina per-  
fectio tua, qui solus, & unus, & totus, & semper,  
& ex ipso te es, omnimoda, & abyssalis perfectio  
tua. Dicam hoc quoque, licet vix supersit quod  
amplius dicam; Ex omnibus creaturis tuis, nullam  
habent enim saxa, habent gramina, habent viles  
vermiculi in quo præcellunt, & præcedunt, & ego  
sequi non possum. Ipsa postremo, si quæ est perfectio  
& non est nisi ex beneficentiâ tuâ usq; adeo im-  
perfecta esse convincitur, ut magis imperfectio esse  
quam perfectio demonstratur: si præsertim ad tuum  
divinum judicium quo etiam justitiæ judicantur, ad-  
ducantur.

ducantur. Ne ergo Domine tradas me animo irrememorati  
 renti, & infrunito: ne finas me ingredi vias superbi & hono  
 & ingratitude: non me permittas subintrare sepe, pisc  
 tas presumentium de se, & glorientium in Virtutibus  
 quasi sua: cum revera sunt nudi, & cæci, & pauperes, fru  
 & miserabiles in omnibus operibus suis. Sed in spiritibus  
 humilitatis, & in animo contrito suscipias, & con  
 serves me semper coram Te: cui semper placuit  
 plicium, & humilium deprecatio: quomodo misere  
 tur pater filiorum suorum, ita & mei miserere  
 qui recordaris figmentum meum, & quia putredo  
 vermis, & pulvis, & nihil sum.

## EXERCITIUM VII.

## De Notitia sua Paupertatis.

1. **S**tatue te coram te, & descende in aby  
 ssem tuam nuditatem, mendicitatem, atque  
 omnium rerum egestatem.

2. Ad hanc cognoscendam sufficeret quidem  
 nosse proprium nihil: illud enim est omnis pau  
 pertatis fons: imò illud est ipsa pauperies, ab  
 lutaque nuditas. Quid enim nudius, quid pau  
 perius nihilo? Sed interim separetur hæc pau  
 peries à presenti consideratione: illa autem  
 in oculis sit, quæ remansit in nobis, etiam po  
 quam ex nihilo conditi, & aliquid effecti,  
 que etiam in Homines constituti à creatore  
 stro, omniumque largitore Deo sumus.

3. Sumus ergo creati, atque de abyssibus  
 educti: educti autem non in quamcunque  
 tremi ordinis creaturam, sed in rationalium,  
 telligentium, liberarum, sui, & sibi domini  
 tium ordinem sepositi: Homines sumus facti

no irreminorati paulò minùs ab Angelis, gloriâ etiam  
superb& honore coronati, insuper præpositi bestiis ter-  
trare feræ, piscibus maris, volatilibus cæli: Destinati  
in Virtuetiam regnis cælestibus, atque beatitudini æter-  
nae, fruitionique Divinæ: Ad quod, præter ma-  
ximam, plurimamque gratiarum auxiliantium san-  
ctificantiumque dona, facti sumus in Christo,  
DEO Homine participes & consortes Divinæ na-  
turæ, atque etiam Personæ: cujus pretiosis me-  
ritis, sanguine, & morte facti sumus Filii & he-  
redes Dei, coheredes autem Christi, ut jam non  
servi, sed Amici, sed Fratres, sed Filii Dei no-  
minemur, & simus.

4. Quid nobis ad tam sublimen sortem eve-  
ctis fortunatius? quid ditius nobis, cumulatiss  
tantis thesaurorum Divinæ Gratiaæ abyssiis? Sed  
videamus nihilominùs in istis divitiis paupertate-  
m nostram.

1. Primùm quidem ex eo, & in eo, quia  
hisce omnibus egebamus, & extremè quidem  
egebamus, neque habere ista, nisi ex merissimo  
Dei dono (nam ex nullo merito nostro) potera-  
mus. Nullâ ad id obtinendum dignitate, nullo  
utilitatis alicujus, vel possibilis, obtentu sufful-  
ciebamur. Quin imò ab horum bonorum par-  
ticipatione arcebamus: tum nihili nostri vilitate,  
tum innatâ nostrâ inutilitate, tum originalis  
culpæ, atque cum Deo Domino nostro capitalis  
inimicitiaæ calculo.

2. Deinde tantis jam donis licet dignati,  
quantùm nihilominùs ijs omnibus, & per indi-  
gnissima omnia, ingrati existimus? quoties  
hisce ipsis, plerisque certe illorum, iisdemq; pre-  
tiosissimis, ac summè necessariis, attamen, ita

D  
i  
: 43  
II  
V

nostris sceleribus exigentibus, spoliati nudatiq[ue] sumus?

3. Præterea, quantis in periculis per singula momenta degimus, ut à tantis bonis excidamus faciente, atque procurante id, assiduâ fraudulentissimorum hostium malignitate ac invidiâ. Hostes nostri tot diaboli spiritûs, tot mundi creaturæ, tot nostrorum sensuum, appetuum, concupiscentiarum, desideriorumque effrenitates, tot cæcitates, stultitiæ, erroresque intellectûs, tot malitiæ Voluntatis, tot vetumnosæ à bono in malum, à malo in pejus mutabilitates, tot occasionum ad ruinam, in quibus, tanquam in mari pisces, fluitamus, & ubi que impingimus, illecebrosæ viscositates, tandemque naturæ nostræ totius, ineluctabiles ad malum, & perditionem declinationes, accipienda. Qui omnes inimici nostri, simul & semper & assiduò, per vitam planè universam, velut conspiratione factâ, nobis insidiantur subdole & vim inferunt manifestè.

4. Accedit ad ista: quod, ut desint hæc omnia, nos in ruinam impellentia, ut etiam nos sumus quàm cautissimi, & circumspectissimi, adhuc tamen ista, Dei nostri propria sunt, & nullo latenus nostra: adhuc iis possumus exui ex absolutâ Dei potestate, ac Voluntate: adhuc nescimus an in his omnibus perseveraturi simus usque in finem; in quibus perseverantia non cadit in meritum nostrum: & scimus etiam ipsorum Angelorum plurimis, quamvis in ipso cælo jam profectis, fuisse negatum: adhuc ista omnia tantulum nobis virium non conferunt ad standum

eis, jam veluti virtute nostrâ, sine Dei auxiliis, vel ad unicum momenti momentum.

5. Insuper, nos istis omnibus, quæ à Deo habemus, nunquam ex æquo, nunquam dignè respondemus, sed ubique fere mutili, & manci, ac sæpè etiam fraudulentis, furacesque invenimur: per quod nobis ad privationem, subtractionemque eorum viam sternimus, & ad perniciem portam patefacimus.

6. Adde: quòd horum Dei in nos beneficiorum, esto pretiosissimorum, plurimorumque de suo genere: tantatamen sit in nobis revera tenuitas in suâ enitate, si ad alia sibi in eodem genere similia, aliis collata conferantur; ut non nisi tenuissima & prorsus exilissima, penèque nulla existimanda sint: salvâ nihilominus nostra erga Deum pro ipsis gratitudine. Exempli gratia. *Omnes gentes coram Deo, dicuntur à Sacrà Scripturâ, esse quasi non sint: totum quoque universum esse dicitur, quasi gutta roris antelucani, quæ præ suâ exilitate aciem oculorum penè effugit: quod si ita est, quantula jam est portio sive Gentium, sive Universi coram Deo; ac per hoc etiam coram ipso se, unus aliquis homuncio? Vita hominis, ad omnium viventium vitam collata, quantula est portio Vitæ? Robur hominis ad omnia alia robusta comparatum, quantula roboris est particula? par esto, de omnibus quæ in uno homine sunt bonis, donisque judicium.*

Isa. 40. 17.

Sap. 11. 23.

7. Sed scilicet in gratiæ donis & coram Deo magni sumus. De quâ re, par præcedenti facta comparatio, facile exilitatem ostendet. Unius hominis Gratia, quàm fortè apud Deum habet,

Gg 4

collata-

D. P. UR.  
ICKI  
: 4300  
II  
V



collata gratis omnium coram Deo gratiosorum  
quantula erit portio illarum?

8. Et quis novit nostrum, Odio an Amore  
dignus sit Divino? cum nemo penè sit, qui non  
sciat se revera odio dignum: revera amore indi-  
gnum esse: quando etiam de propitiato peccato  
non licet esse sine metu.

9. Quis novit se esse prædestinatorum & elec-  
torum, potius quàm reprobatorum unum?

3. Reg. II.

10. Quis scit, quantis, & quibus in occa-  
sionibus, locis, temporibus, circumstantiis  
sibi ad lapsum pateat ostium: & sæpe aperitur  
minimis, ut *Davidi* ab uno ictu oculi adulterium  
obvenit: sæpe aperitur ferè ex nullis: quando  
ipse sibi homo dux est in ruinam: sæpe etiam ape-  
ritur, ex in speciem bonis, quoniam pravum  
est cor hominis: uti *Petrum* humilitas putata,  
reverentia erga Christum pedes lavantem, per  
à parte cum Christo exclusit in æternum: sæpe  
etiam ipsæ Gratia, transeunt in occasiones pec-  
candi, & pereundi: quoniam peccatum, ut ap-  
pareat peccatum, per bonum operatum  
mihi mortem, ut fiat supra modum peccatum  
peccatum.

11. Quàm multi hominum habent unum  
Dei bonum, & millena non habent! alii contra  
millena licet habent, unum non habent, finem  
quo millena nihil profunt, sæpe etiam obsunt.

Job. 42. 7.

12. Quanto zelo amici *Job*, defenderunt  
æquitatem, & justitiam Dei! & tamen non  
locuti rectum coram DEO, quamvis pro Deo.  
Multi nimirum Zelum Dei habent: sed non  
cundum scientiam, quia zeli scientiam non  
habent.

13. Quia

13. Quàm multi gratis à Deo ditantur, at in aliorum potius, quàm in suum ipsorum bonum! Gaudebant Christi discipuli, quod *demonia eis subijcerentur*: prædicant alii coram ipso Christo, quòd in nomine ejus multas Virtutes facerent: at justus Judex respondet, se illos non nisi operarios iniquitatis nosse: ideoque à se in ignem jubet faceffere. Apostolis autem non ex dæmonum ejectione, sed ex nominum suorum in cælo descriptione gaudendum esse edicit. Paulus ille par omnibus etiam suprâ modum Apostolis, clamat se absque Charitate nihil, nihil penitùs esse: esto loquatur linguis hominum & Angelorum: esto habeat omnem scientiam, esto Fide montes transferat: esto distribuat omnem substantiam suam in cibos pauperum: esto tradat corpus suum ita ut ardeat. En quanta nostra, in divitiis etiam Gratiarum, residet tamen in nobis pauperies atque nuditas!

14. Quid verò, quòd quantò magis crescunt nobis dona, tantò magis rationes etiam increscunt debitaque donorum? Quid *quòd cui plus datum est, plus requiretur ab eo?* quid quòd potentes potenter tormenta patiuntur? quid quòd dona Dei, debita sunt nostra; & quo majoribus pluribusvè ditamur. Eò magis debitis oneramus, & pauperiores non solum ostendimus, sed etiam reddimus? An non enim quò quis plura debet, si ne minimorum solvendo est, tantò pauperior miseriorque invenitur? Ergo divitiæ nostræ, pauperies nostra sunt, tantò major & onerosior, quanto illæ majores, & ad reddendum difficiliore.

Gg 5

15. Quid

DRUR  
icki  
: 4301  
II  
V

15. Quid autem est, aut quis credat, quòd etiam pro iis quæ non accepimus, debitores constitui- mur; Si enim illa accepissemus, in malum nostrum accepissemus, at quia non accepimus, ideo non perii- mus: quia verò non perii- mus, nunquid non debitores constituti sumus? Usque adeò, omnem in partem, aliud nihil quàm miseri, quàm egentes, quàm mendiculi, quàm obæra- rissimi, quàm mulissimi, quàm ipsum nihil, nihi- lumque sumus: adeo ut pauperies nostra, nihi- lumque, ne sublevari quidem aliter possit, nisi ut magis pauper, magis nudum, magis miserabi- le, magis denique nihil fiat.

*Apoc. 3. 17.  
& 18.*

5. Et tamen est homo; *qui dicit in corde suo, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo.* Deus autem, & ejus Veritas ad illum loquitur; *Et ego dico tibi: quia tu es pauper, & nudus, & cæ- cus, & miser, & miserabilis: suadeo tibi emere à me aurum ignitum ut locuples fias.* Hoc iudicium est Veritatis, hoc Consilium Sapientiæ. Iudicium quidem; quia omnis qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit tanquam mendax, & in quo Veritas non est: quâ iudice, omnis qui se exaltat, & divitem jactat, humiliatur, & in paupertatem nihilumque redigitur. Consili- um autem: quia qui ditari revera vult, oportet ut pauper sit, & agnoscat, confiteaturque paupertatem suam. Non est enim certior dite- scendi ratio, quàm omnium se egentem scire, fateri, omniaque à Deo emendicare. Sicuti nulla certior ad egestatem deveniendi, in illâque per- eundi methodus est, quàm ignorare, vel dissimu- lare vel erubescere, vel negare paupertatem ve- ram, jactare autem opulentiam falsam. Aque ista est

est infelicissima omnium in hominibus pauperies: utpote, quàm non jam solum naturæ nihilum gignit, sed etiam malitia atque stultitia superbix inducit.

P R A X I S.

SCIO Domine docente te, & confiteor largiente gratiã tuã, quoniam illi solum, qui se cognoscunt pauperes & confitentur Tibi paupertatem suam, distant à Te: qui autem se divites existimant, cum revera sint paupertate ipsã pauperiores, à tuã bonitatis, & misericordix divitiis, inveniuntur exclusi. Confiteor ergo tibi Domine Deus meus paupertatem meam, ut sit tibi gloria tua tota. Nihil aliud sum, nisi universa Vanitas, umbra mortis, & abyssus quaedam tenebrosa, & terra inanis, & vacua, quæ sine benedictione tuã nihil germinat, nisi nuditatem, confusionem, peccatum, & mortem. Si quid boni unquam habui, à te habui, & tuum erat. Si quando steti, per te steti: Si autem aliquando cecidi, per me cecidi: & sic semper in luto jacuissem, nisi me tu erexisses, & postquam erexisti me, semper cecidissem rursus, nisi tu me sustinuisses. Sic semper Gratia tua, atque misericordia tua Domine, prævenit me: liberans me ab omnibus malis, præcidens etiam ante me laqueos, tollens occasiones, & causas. Quod nisi tu fecisses, ego omnia peccata mundi commissem. Tibi ergo laus, tibi gloria, tibi honor, tibi gratiarum actio: mihi autem paupertas, & miseria, & confusio faciei, in sæcula sæculorum, Amen.

EXER-

DRUR  
ICKI  
: 4301  
II  
V